



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione August. <sup>Hutteri</sup>
- 2 Sadnel Elucifera nos disp. 1.
- 3 Axiomas brevis de sacro physico casu in diuinis M. Fied. 3 Alduini
- 4 Disp. de Ora. Actu tum Hora tum officio. Hofmann.
- 5 Disput. 1. de Coena Dni. eisdem. assertes <sup>de p. t. ay</sup> a multa
- 6 Disput. 4. de Coena Dni. Hofmanni <sup>de p. t. ay</sup> ex cap. 1 Cor. 10.
- 7 De notis actus Dei & voluntatis ipsius Hofmanni
- 8 Drey vnterschiedliche beschreibungen an d. Consistorium zu  
Leipzig, vnter abhoffung des Exorcismi  
M. Georgij Lystarij.

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO XXI.  
DE EXTREMO  
IUDICIO.

EX ARTICULO XVII.  
*Confessionis Augustanae.*

ad cujus positiones  
*Sub auspicijs Christi Servatoris*  
*Praside*

LEONHARTO HVTTERO,  
*S. Theologiae Doctore, & Pro-*  
*fessore publico.*

Respondebit  
SAMVEL CNUPIVS Hertzber-  
gensis Saxo.

*Mense Majo, horis locoque solitis.*

VVITEBERGAE,  
*Excudebat Zacharias Lehman.*

ANNO M. D. XCVIII.



VIRIS REVERENDIS,  
PIETATE, ERV-  
DITIONE ET INTEGRITATE  
PRAESTANTISSIMIS, MINISTRIS  
in Christi *ἱερουργίας* Ecclesia fide-  
listimis :

Dn. M. IOHANNI LUCIO.  
Dn. M. BALTHASARO THEODORICO.  
Dn. M. BERNHARDO APITIO.  
Dn. CHRISTOPHORO LEISSIG.  
Dn. ANDRAE RITTERO.

*Dominis Praeceptoribus, amicis, civibus,  
fautoribus ac promotoribus vnicè  
colendis.*

has Theses

offert,

*Respondens.*



## DE EXTREMO IUDICIO.

### *Thesis I.*

**S**copus Articuli istius non tam est ὁ πολυμυκός quam ἀπολογητικός, oppositus atrocibus diffamationibus, quibus nostrarum Ecclesiarum Confessionem horribiliter notabant Pontificij.

2. Etsi enim de hac Religionis Christiane articulo, inter partes dissidentes publicè conveniebat: ejusmodi tamē corvitiis, & extrema impietatis notis, impuri passim Monachi, partim scriptis, partim concionibus suis Lutheranam doctrinam sub initium reformationis proindebant, ut exteris Gentibus, Gallis, Vngaris, Italis, Hispanis praesertim esset persuasissimum, eā omni honestorum & turpiū discrimine sublato, negari uti DEVM, sic extremum quoque iudicium.

3. Plurimum ergo interfuit Ecclesia, ut diserta de hoc etiam Articulo edita confessione, suam & doctrinam retrā hac suspicione liberaret, & innocētia trophæum contra Sycophantas statueret.

4. Proinde scurrā impudentissimum agit Andreas Fabritius, dum veteratorie scribit: Protestantes idem in huius Articuli consignatione fecisse, quòd periti piscatores factitare consueverunt, qui solent piscibus massam aliquam ex rebus soporiferis & gratis objectare, quò citius inescari possint:

A 2

unt:

Harm. Fabr.  
pag. 289. a.

sint: Ita Confessionis huius nostræ Archite-  
ctos, nunc ex scripturis, nunc ex symbolo ca-  
pita quædam producere, à quibus sciant Ca-  
tholicos non abhorrere, ut & in alijs ab eo-  
rum doctrina non abhorrere existimentur.

5. *Ceterum hic etiam Articulus, licet minus & con-  
roversus, & satis liquidus, censuram virgulam experia-  
ri necessum habuit, eâ prototypi mutatione adornata, quæ,  
quippe præter causam ac rationem justam omnem institu-  
ta, nihil aliud, quam Cornicum oculos configere voluisse,  
videri potest.*

6. *Cavillandi sanè materiam inde mutuatus Fabri-  
rius noster, Confessores nostros turpi planè aspergine notat,  
scribens: Est hic articulus in Confessione anni  
1540. multum à prototypo diversus. Præter  
quàm enim, quòd in hoc Anabaptistis tribu-  
unt, quæ postmodum Origenistis adscripse-  
runt, multa adjunxerunt, quæ ad obedientiam  
Magistratibus debitam pertinent, quò hac  
spumosa spongiâ lituras suas eluerent.*

7. *Et profectò causam nullam habuit auter mutata  
editionis, ut in Articuli huius antithesi, Anabaptistarum  
loco, Origenistarum heresim reponeres: siquidem hunc  
ipsum Origenicum errorem (quod nimirum damnati  
omnes, atque ipsi etiam Diaboli tandem salvandi sint.)  
Anabaptistas quosdam fuisse, testis est præter alios Se-  
bastianus Frank.*

8. *Sed nec Scemma Fabricij vel tantilli aestimandum,  
errore quodam hoc factum fuisse cavillant is, ut Anabapti-  
stis Origenistarum errorem Prototypum Confessionis no-  
stræ assignaverit.*

9. *Quæ*

9. Quin Spiritum compunctionis & vertiginis magis ille prodit, eò quod in verbis immediate præcedentibus expressè scribit: Quod de Anabaptistis subiiciunt, etiam nos probamus. Et tamen statim hoc ipsum erroris cuiusdam insinulare haud erubescit.

10. Huc accedit quod reliqui etiam Confutatores Augustanae Confessionis, nempe Iohannes à Daventria, Iohannes Cochlaus, Iohannes Hofmeisterus, in hac parte antitheses, ut & in toto Articulo huius Systemate nihil quicquam desiderant.

11. Quinimò ex scriptoribus Pontificijs VV. Helmius Lindanus (Dialog. 2. Dubitanij) disertè fatetur, Origenem cum illum errorem, ut & reliqua dogmata, nostra tempestate postliminiò in theatrum revocari ab ijs, qui damnatos tandem omnes salvandos esse docent: Quo in numero sit Anabaptista ille Denckius, cuius meminit Seb. Frank.

12. Constat ergò Prototypo sua integritas & veritas, nihil obstantibus Fabricianis cavillationibus: quae etiam usque ad istas partes duabus absolvitur, quarum prior de h. nostrarum Ecclesiarum Confessionem, de quatuor illis, uti vocant, mundi nostris exponit: Posterior de ijs est h. nostrarum stricta partim in Anabaptistas, partim Chiliasistas & c.

#### PARS ARTICVLI I. ΘΕΤΙΚΗ

13. Item Art. culi huius XVII. sic informant Confessores nostri: Docent (Ecclesiae scilicet nostrae) quòd Christus apparebit in consummatione mundi ad iudicandum, & mortuos omnes resuscitabit, pijs & electis dabit vitam æternam & perpetua gaudia: impios autem homines ac diabolos condemnabit, ut sine fine crucientur.

14. Quatuor nimirum rerum complexa, universa  
qua mundi huius consummationem concernunt & conse-  
quuntur, comprehendunt: Quas antiquitus, Quatuor  
mundi novissimi appellari usum receptum est: qualia sunt,  
1. Mundi Consummatio. 2. Adventus Christi  
judicis. 3. Resurrectio. 4. Iudicium extre-  
mum.

### I. CONSUMMATIO SECVLI.

15. De Consummatione Seculi perspicua sunt scriptu-  
rarum testimonia, quae ejus veritatem ac certitudinem  
irrefragabiliter evincunt: ut Matth. 5. 18. & cap. 24.  
35. 1. Cor. 7. 31. 2. Pet. 3. 10. 1. Iob 2. 17. &c.

16. Et quoniam D. Petro teste, semper sunt futuri  
impetores, qui huius rei certitudinem in dubi-  
um vocare audebunt, tamen non Affirmativa nostra  
quicquam hoc officit, ut potius eandem firmiter corrobo-  
ret ac stabiliat.

17. Hi ipsi enim furoribus documento esse possunt, ne-  
cessario restare aliud seculum, in quo poenas daturi ij, qui  
in presenti contemptores I. E. & veritatis extiterunt.

18. Quando vero isthaec Mundi futura sit Consum-  
matio, varie & olim quaesitum fuit, & adhuc hodie qua-  
eritur.

19. Iudei produxerunt ex Thalmud Oraculum quod-  
dam Eliae, non Prophetae illius Thesbitae: sed Rabini cujus-  
dam *ovavvov*, mundum hunc 6000. annorum duraturum  
asserentis: analogiam desumptam a sex illis diebus, quibus to-  
tum hoc Universum a DEO est creatum: quorum quilibet  
mille constituat annos, juxta illud Davidis: Mille anni  
coram te, sicut hesternus dies quae praeterit.

Thalmud.  
lib. Sanhe-  
drin: tracta-  
tu Abodah  
Zarah. h. e.  
Idolola-  
triae. cap. 1.  
Ps. 90. 4. 2.  
Pet. 3. 8.

20. Reper-



20. Reperti sunt alii, qui Corpus Christi mysticum, hoc est, Ecclesiam aeternam in terris annos triginta tres existimarunt, quos vixit Christus in mundo quoad Corpus, quod ex virgine susceperat; sed quemlibet annum in quinquaginta visitatos distribuunt, ut annum Iubilaei constituant.

21. Quae Marcionis, Cerdonis, Praxeae & Valentini de Aeonibus & seculis fuerint somnia & deliria, passim videre est apud Tertullianum, Irenaeum & Epiphanium.

22. Sunt verò haec nihil aliud, quam inania & otiosa figmenta hominum, qui ut Augustinus loquitur, Diabolo sic ipsos instigante, tanta superstitione in quæstionibus infinitis ac inutilibus ad suam ipsorum perniciem laborantes, non curant ea, quae necessaria sunt, ut serventur.

23. Habemus firmum Propheticum & Apostolicum <sup>2. Pel. 1. 19.</sup> sermonem cui, rectè facimus, attendentes, tanquam lucerna lucenti in loco caliginoso.

24. Is verò disertè & graviter multis in locis attestatur, discretam temporis Consummationis seculi <sup>Act. 1. 7.</sup> notitiam, hominum in hac vita nemini competere: ut quorum non sit nosse *tempus & hora* tempora vel momenta.

25. Et Servator ipse discipulis de eodem rogitanti <sup>Matth. 24. 36.</sup> <sup>Marc. 1. 32.</sup> respondit: DEVM potestati hoc sua ita in solidum <sup>32.</sup> servasse, ut diei illius & hora, nec Angeli, imò nec ipse quoq; filius (ex proprietate naturae humanae consideratus) notitiam habeat.

26. Quod considerans Augustinus, Hesychio de fine seculi curiosius inquirenti, rectè respondet, se non audere spacia saeculorum usq; ad finem mundi vel metiri, vel   
enumeo

enumerare, propterea quod scribatur de die illa neminem scire, neq; Angelos, neq; ipsum Filium.

27. Quoad confusam verò ac indiscretam notitiam haud planè in suspensò animos vestros relinquere Christus voluit, dum certa signa, termini sive finis Mundi prænuncia constituit.

28. Quorum alia sunt remotiora, atq; è longinquo præcurrentia, ut Securitas hominum: crapula: libidines: Apostasia à fide: Consceleratio morum: Revelatio Antichristi: Alia propinquiora, qua vel quàm proximè consummationem seculi antecessura sunt, vel cum eadem potius conjungenda: qualia recenset Christus, Matth. 24, 29. & 30. cum præter alia quadam horrenda prodigia: Signum quoq; Filii hominis in cælo appariturum prænuntiat.

Matth. 24.  
33.  
Luc. 17, 27.  
1. Tim. 4. 1.  
2. Tim. 3. 2.  
3. 4.  
1. Theff. 2. 3.

29. Quodnam verò illud signum Filii hominis sit futurum, nostrum non est definire, cum D. Augustino adstante, citius hujusmodi signa impleantur, quàm intelligantur.

30. Sunt tamen haud pauci Orthodoxi in ea sententia, idem in secundo adventu filii hominis appariturum signum, quod in primo apparuit: Stellam nimirum miraculosam: Quam sententiam, cum nihil analogi à fidei res pugnans contineat, maximè nobis quoq; videri probabilem asserimus.

31. Illud tamen addimus, haud statim cum nova aliqua & miraculosa apparet Stella, qualis etiam anno 72. & 73. in signo Cassiopeæ conspecta fuisse existimatur, pronuntiandum esse jam ad justam mensuram dies mundi pervenisse, ipsiusq; finem in instanti adesse: quin potius stauendum cum Apostolo, hoc ipsum tempus nostrum, extremam esse ætatem, horamq; novissimam,

1. Joh. 2. 18.

32. De

32. De Qualitate huius Consummationis, Scriptura perspicue docet: Mundum hunc sub incendio flammæ sive Ignis transiturum. 2. Theff. 1. 8. 2. pct. 3. l. & 12.

33. Scholastici Doctores de Igne hoc Conflagrationis extrema satis pueriliter disputant: aliis quidem statuentibus: Ignem illum fore elementarem, qui DEI jussu descensus sit, atque omnia combusturus: aliis vero somniantibus, solis radios ex repercussione esse multiplicandos, ut ex illis omnia succendantur: quemadmodum fieri videmus, cum radii solares feriunt specula ex chalybe, Stuppam admotam inflammari.

34. Frivola ista & putida humani ingenij commenta, simpliciter repudiamus: & cum D. Augustino 1. 20. de Civ. DEI cap. 16. & 24. libenter fatemur, nos de illo igne conflagrationis, quisnam aut unde futurus sit, nihil quicquam nosse: credentes interim firmissimè, totum hoc unversum igni transiturum.

35. Gravior verò & difficilior hoc loco oritur questio, Vtrum nimirum transitus iste & Sogæ corruptione, an à dicitur alteratione sit definiendus? Seu, quod idem est, An Mundus ut sit secundum substantiam, an verò ut sit secundum qualitates sit interiturus.

36. Neque enim desunt rationes, quæ pro utraque sententia hand leviter pugnare videntur.

37. Qui enim Mundum Qualitatum solummodo Ps. 102. 27. ratione interiturum contendunt, Davidem sequi videntur, qui de cælis asserit, fore aliquando, ut y tanquam vestimentum veterascant, & in modum indumenti immutentur: & Apostolum, qui creaturam nunc vanitati subiectam, aliquando à servitute corruptionis liberatum iri: Rom. 8. 20. & 21. 1. Cor. 7. 31. & quæ saltē, figuram huius mundi præteriturum, pronunciat.

38. Qui verò Mundum uel *ἔτιω* secundum substan-  
Ps. 102, 27 tiam per *Φθόγην* interituram statuunt, expressis etiam in  
Luc. 21, 33 sistunt Scripturarum testimoniis, quæ celos perituros, &  
ApoC. 20, transituros affirmant: quæq; ita Cælum & terram à con-  
11. 21, 1. spectu ejus, qui sedet super thronum, fugisse testantur, ut  
locus non amplius ejus sit inventus: imò ut Cælum & ter-  
ra planè abierit, & mare jam non sit.

39. Nos statuimus litem hanc *ἔτιω* Christiana re-  
ctissime posse dirimi, quippe quæ ejus decisionem rectius  
ex sensu futura experientia, quam *οὐκ ἔτιω* divinatione pe-  
tendam esse, persuasum habet.

40. Posterior tamen sententia magis videtur Scriptu-  
ris consentanea, ut quæ transitum hunc mundi iis potissi-  
mum verbis exprimit, quæ non instaurationem vel in no-  
biliorem statum transmutationem: sed totalem abolitionem  
& destructionem, suffragantibus etiam Grammaticis  
& Physicis notant & significant: qualia sunt perire, in-  
terire, abire, fugere, non existere &c.

41. Quid? quòd à *Φύσιν* uel à *Ἐξουσία* pars est ima-  
ginis divina, ad quam solus homo primùm fuit conditus,  
non verò ulla creatura hujus mundi alia. His ergò cam tri-  
buere nimis foret absònum.

42. Adde, quòd, si mundi huius concedatur instaurationem  
& renovatio: reliquarum etiam creaturarum omnium  
restitutio statuenda foret: siquidem ratio dari potest nulla,  
cur quadam saltè, non omnes: cur hæc, non illa orbis par-  
tes sint ab interitu vindicanda.

43. Frivolum enim planè est; imò prorsus *ἄλογον*,  
quod Scholastici docuerunt, ea tantùm habitura immorta-  
litate, quæ ad eam aliquo modo fuerunt facta: quale sit  
corpus cælestè, uti simplicissimum, ita à contrariis qualitas  
tibus alienissimum: ut em Elementa, quæ quamuis quoad  
partes,

partes, generentur & corrumpantur; tamen quoad totam  
semper manent.

44. Nam & quod dicunt, non probant; & principia  
um turpiter pctunt: siquidem hoc ipsum quaritur: an Cœ-  
lum & Elementa vi ac potentia DEI ab interitu sint vin-  
dicanda, reliquæ verò orbis partes non item.

45. Nos Negativam per omnia sequimur, & ut reli-  
quarum ignobiliorum mundi partium. sic ipsius quoq; Cœli  
ac Elementorum interitum, vel eam etiam ob causam fu-  
turum credimus: quòd illorum nullus planè foret usus in  
vita æterna.

46. Neq; enim tum, ut in hac vita, natura nostra, Cœ-  
li ac Elementorum ministerio fovebitur & sustentabitur: 1. Cor. 13.  
neq; etiam per harum visibilium creaturarum intuitum, 1. Ioh. 3. 2.  
animus noster ad contemplationem DEI impelletur: ut  
quò non amplius per speculum in enigmate, sed à facie ad  
faciem videbit DEVM, sicuti est.

47. Frustra autem planè sententia suæ præsidium  
querūt ex enunciato illo Apostolico, quo ipsa quoq; creaturæ Rom. 8. 21  
à servitute corruptionis liberatum iri Paulus affirmat.

48. Etsi enim liberationis à servitute corruptionis:  
non tamen restorationis mentionem facit Apostolus.

49. Deinde non de ejusmodi liberatione agit, qua  
in melius mutatæ creaturæ, perpetuò sint duraturæ: sed  
hoc vult, quòd abolitione sua sint liberandæ ab horrendo im-  
piorum abusu, cui in hoc seculo sunt expositæ: propter quem  
mallet per voluntatem DEI in nihilum evanescere,  
quàm contra naturam suam servire impijs ad peccata, &  
adversus proprium suum opificem militare.

50. Quaritur porrò: nimm creaturis his prorsus abo- Ies. 65. 17.  
litis, novum mundum creaturus sit DEVS? Nos nos 66. 22.

B 2

vum 2. Pet. 3. 13  
Apoc. 21. 1

vum quidem caelum, & novam terram, cum Prophetis & Apostolis DEVM creaturum credimus: at qua eorum futura sit conditio, curiosius indagare, nec possumus, nec debemus.

§ 1. Nihil tamen quicquam eorum interpretationi in-  
terim derogamus, qui vaticinia ista novum caelum, no-  
vam q̄ terram promittentia, metaphoricè partim de splen-  
dore regni Christi sub gratia Novi Testamenti: partim  
parabolicè de futura beatitudinis gloria accipiunt & ex-  
plicant.

## II. ADVENTVS CHRISTI IUDICIS.

§ 2. Caterùm ut ad alterum Mundi novissimum ace-  
cessum faciamus, Adventum nimirùm Christi ad iudici-  
um, testantur S. literae, sub consummationem seculi appa-  
riturum Filium hominis, Christum videlicet, non secun-  
dum divinam, ut quam impius non videbit; sed secundum  
humanam naturam, quam visuri sunt & hi, qui pupugerunt  
ipsam. *Ier.* 26, 10. *Zach.* 12, 10. *Matth.* 24, 30. *Ioh.* 5, 27.

§ 3. Apparebit autem Filius hominis in nubibus Cae-  
li, in potentia & gloria magna, ea nimirùm, quae soli Filio  
hominis à Patre est concessa, quam super throno gloriae di-  
vinae considens ille usurpaturus est. *Matth.* 24, 30.  
25, 31.

§ 4. Accedet insuper κέλευσμα illud & vox Archangeli,  
& tuba DEI de supernis: Angelorum item omnium  
myriades cum tuba & voce magna. *Matth.* 24.  
30, 25, 31.  
*1. Thess.* 4.  
16.  
*1. Cor.* 15, 52.

§ 5. Reditum hunc CHRISTI Scriptura respectu  
conditionis naturae humanae, Adventum: respectu vero ac-  
cessionis gloriae, quae eidem humanitati Christi ex unione  
personali obtigit, ἀποκάλυψιν καὶ ἐπιφάνειαν revelatio-  
nem & apparitionem nominare solet. *1. Cor.* 1, 7. *2. Thess.* 1,  
7. *1. Pet.* 1, 3. *Tit.* 2, 13. *2. Thess.* 2, 8. *1. Tim.* 6, 14. *2. Tim.* 4,  
1. & 8.

III. RE

### III. RESURRECTIO MOR- TIVORVM.

56. Tertium Mundi novissimum, est Resurrectio mortuorum, quæ uti cum omni ratione humana pugnat, ita rectè miraculorum omnium divinorum miraculum à veteribus appellata fuit.

57. Miraculum enim summum futurum est, quòd <sup>Apoc. 20. 13.</sup> terra & mare corpora defunctorum, non aliquorum duntaxat, sed omnium jam inde à condito mundo mortuorum, rursus quasi effundet: quòd ella animabus suis juncta res <sup>Iob. 19. 23.</sup> vivifcent: quòd deniq; licet qualitatum aliquam, substantiæ tamen prorsus nullam mutationem patientur: siquidem attestante Iobe, ipsa sua pelle quisq; circumdabitur: & seqq. & in ipsa sua Carne videbit Dominum idem ipse qui vixerat, & non alius.

58. Fidem futuro huic miraculo faciunt expressa Scripturarum testimonia, quæ omnes quotquot dormiunt in pulvere terræ, evigilatos & resurrecturos disertè testantur: ut Ies. 26, 19, Ezech. 37, Dan. 12, 2, Iob. 19, 25, Ioh. 5, 28, 1. Cor. 15, 12, & seq. 1. Thess. 4, 16. &c.

59. Fidem præterea faciunt exempla Enoch & Elia quos vivos in Cælum translatos fuisse, Scriptura perhibet: item eorum, quos à Prophetis, Christo, & Apostolis è mortuis resuscitados fuisse legimus.

60. Causa hujus facti sive eventus partim est voluntas & decretum DEI: partim verò Christus Servator, qui factus est primitiæ dormientium, principium & primogenitus ex mortuis: imò Resurrectio atq; vita ipsa. <sup>1. Cor. 15, 12 & c. Col. 1. 18. Apoc. 1, 5. Ioh. 11, 25.</sup>

61. Qualitates & proprietates piorum ac beatorum corporum resurgentium prolixè describit Apostolus <sup>B 3 1. Corinth.</sup>

Mat. 13, 43. Dan. 12, 3. 1. Cor. 15, 42 & 43. Luc. 20, 36. Mat. 22, 30. 1. Corinth. 15, 53. & seqq. quarum precipua erunt Immortalitas: Lux & fulgor: quem obtinebunt corpora clarificata, fulsura instar Solis, & stellarum firmamenti: Immutabilitas: & huius generis alia, quas Servator summus tim complectitur asserens, in vita aeterna fideles fore similes Angelis DEI.

Mat. 22, 13. 13, 42. Ies. 66, ult. 62. Impij contra prater immortalitatem, ceterarum qualitatum nullam obtinebunt, quin potius contrariis & prorsus oppositis deformabuntur: luce atq; claritate prorsus destituentur, quippe in exteriores tenebras conijciendi: neq; erunt impassibiles, quandoquidem cruciatibus & doloribus immensis sunt afficiendi.

l. 22. de Civ. Dio. 14. & 16. 63. Qua verò hoc loco de Infantibus movetur quaestio; in qua aetate vel statura illi sint resurrecturi: verbis DEI cap. Augustini explicari posse videtur, dicentis: Resurgent omnes tam magni corpore, quam vel erant, vel futuri erant in juvenili aetate, quamvis nihil oberit, etiamsi erit infantilis vel senilis corporis forma, ubi nec mentis, nec ipsius corporis ulla remanebit infirmitas. Vnde etiam, si quis in eo corporis modo, in quo defunctus est, resurrectorum unumquemq; contendit, non est cum illo laboriosa contradictione pugnandum.

Cyrill. l. 12. cap. 58. in Iobannem. 64. Pari modo ad questionem illam, an claudi, luscii, caci, muti, surdi, iisdem in vita aeterna futuri sint obnoxij naturae defectibus, negando simpliciter respondemus. & cū Cyrillo statuimus, nullas corruptionis reliquias, nullum signum defectus post resurrectionem in hominibus futurum, sed quod seminatum in infirmitate, resurrectorum in virtute & gloria. Quid autem est in virtute atq; in gloria resurgere aliud, quam quod omni infirmitate, & omni corruptionis dedecore procul depulso, ad sinceram incorruptibilitatem genus humanum redituum sit?

65. De



85. De monstrosis verò partibus, de abortivis an & illi sint resurrecturi, certi nihil definimus, cum hac de re tam altum in sacris literis sit silentium; divina providentia hoc ipsum committentes.

66. Resurrectioni mortuorum vicina & proxima est <sup>1. Cor. 15.</sup> ἀλλογή sive Immutatio, & Raptus ille, qui Scriptura teste <sup>51. & 52.</sup> in Consummatione seculi, vivis obtinget, qui unâ cum mortuis resuscitatis in occursum Domini per aërem in nubibus <sup>1. Thess. 4.</sup> ἐν ἀπόλω, καὶ ἐν ἑπιπῆ ὀφθαλμῶν rapiuntur. <sup>17.</sup>

67. Queritur autem, cum Corruptioni in Incorrptione locus esse nullus possit; num ἀλλογή sive Immutatio <sup>1. Cor. 15.</sup> ista Mors appellanda sit nec ne? Nos secuti Apostolum, <sup>51.</sup> qui non omnes quidem dormituros, sed omnes immutandos pronunciat, respondemus: cum raptus iste, conflagrante interim mundo, per medias ardentis hujus universi flammam futurus sit, corpora illa tum in terris viventium, sic per ignem raptata, non mortem quidem ipsam, sed morti quiddam passa ἀνέλωρον mira celeritate, ad incorruptibilitatem transitura.

### III. IUDICIUM EXTREMUM.

68. De Iudicio ultimo sive extremo, quod quartum est Mundi novissimum, manifesta rursus Scripturae sunt testimonia tam Veteris quam Novi Testamenti, ut Psal. 9, 9. Ies. 3, 13. 66, 15, 16. Daniel 7, 10. Soph. 3, 8. in primis Matth. 25, 31. & Act. 17, 31. Et in Epistola Iudae, versu 14. & 15. & c.

69. D. Apostolus Iudicij hujus certitudinem asserturus, ratione nititur longè evidentissima, inquit: <sup>2. Thess. 1.</sup> Iustum est <sup>7.</sup> apud DEVM retribuere tribulationem ijs, qui vos affligunt; & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatione Domini nostri Iesu, de caelo, cum Angelis potentie suae. <sup>70.</sup> Qua

70. Quae sanè retributio cum neq̄ piorum, neq̄ im-  
piorum respectu hac fiat in vita, his quidem felicissima,  
illis verò iniquissima sorte fruentibus: firma autem & in-  
concussa in aeternum DEI stet Iustitia: vel ipsa dictat ra-  
tio, superesse iudicium quoddam generale, in quo mali pe-  
reant: boni autem pietatis accipiant mercedem.

71. Et sanè tanta rationis huius est vis, ut natura-  
lis quaedam semper, ipsis etiam gentilium animis, insita  
fuerit futuri iudicii notitia: id quod vel Poëtarum fabulae  
probant, qui Minoem, Radamanthum & Aeacum apud  
inferos, Iudices mortalium constituerunt.

72. Sistendi verò sunt huic iudicio homines quot quot  
vixerunt, vivunt, victuriq̄ sunt universi, boni & mali,  
justi & iniusti, adeoq̄ omnes gentes et tribus terra Matt.  
13, 48. & 49, 24, 30, 25, 32. Act. 24, 15.

73. Praesidebit iudicio huic, justissimus ille à DEO  
constitutus iudex mortuorum & vivorum, CHRISTVS  
IHESVS: cui Pater dedit potestatem Iudicii faciendi,  
quia Filius hominis est: talis nimirum Iudex, qui intimos  
cordium humanorum scrutatur recessus: & coram quo  
omnium parebunt conscientiae.

74. Assessorum vicem sustinebunt Apostoli & reli-  
qui sancti, & qui sessuri dicuntur super duodecim sedes,  
& iudicaturi duodecim tribus Israel: non quidem, quòd  
huiusmodi externa spectacula in iudicio illo sint futura:  
Sed quia partim Apostolorum fides, omnem Israëlitis  
excusationem est ademptura: partim ipsorum, ut & reli-  
quorum Sanctorum doctrina, norma quasi erit, ex qua  
universum de incredulitate hominum iudicium est futu-  
rum.

75. Iudicii huius locum designant Iudaei vallem Iosaphat,  
quae inter montem Oliveti & Ierosolymam est sita.  
falsè

falsa decepti interpretatione loci Prophetici, qui habetur  
1061. 3, 2. & 12. ubi vocabulum Iehoschaphat non proprie, sed  
appellativè est accipiendum: idemq; denotat, quod Ieho-  
vah iudicat, vel Iehovah Iudex: & Vallis nomine, Muna-  
dus hic notatur, in quem quasi in vallem aliquam descensu-  
rus Dominus, iudicaturus omnes gentes terra.

76. Forma huius Iudicij, in sententia definitiva pro-  
mulgatione consistit, qua instituetur, vel respectu creden-  
tium & Electorum ex Evangelio, quibus gratis per fidem  
in CHRISTVM dabitur merces sive pramium: Ioh.  
3, 18. Rom. 2, 16. Vel respectu reproborum & infidelium ex  
Lege, secundum illud: Qui non crediderit, condemnabitur.  
Marc. 16, 16. Ioh. 3, 18.

77. Exitus Iudicij is futurus est, ut pii & electi pos-  
sessori sint regnum DEI patris, ipsis jam inde à mundi  
constitutione paratum: Impij verò sint ituri in igem a ter-  
num, qui ipsos ac Diabolos immensis ac ineffabilibus cru-  
ciatibus, in omnem aeternitatem est afflictorus, Matthe.  
25, 34, & 48.

## PARS II. ARTICVLI,

Avl. Jul. 11.

78. Avndèous partem Confessio nostra his verbis con-  
cipit: Damnant Anabaptistas, qui sentiunt, ho-  
minibus damnatis ac Diabolis finem pæna-  
rum futurum esse. Damnant & alios, qui nunc  
spargunt Iudaicas opiniones, quòd ante resur-  
rectionem mortuorum, pij regnum mundi  
sunt occupaturi, ubique oppressis impijs.

79. Duas nimirum errantium in hoc Articulo classes  
constituit, Anabaptistarum unam; Iudaizantium alte-  
ram.

ram; cuius utriusque feditas vel ex nuda errorum recitatione cuius sit obvia.

80. Quid enim absurdum magis, quid ab omni pietate alienius, quam unam & communem piorum & impiorum, electorum & Diabolorum sortem aliquando futuram cum fece Anabaptistica & Origenica comminisci.

81. Oppositus fuit impietati huic jam olim in Synodo V. Universali, Constantinopolitana, iste Canon, ordine notus: Si quis dicit, aut sentit temporanea esse dæmonum & impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura: sive, restitutionem dæmonum aut hominum impiorum futuram esse, anathema sit.

82. Insectatur eandem blasphemiam Divus etiam Augustinus, tractatu de haeresibus ad Quodvultdeum haeresi 42, Tom. 6, Col. 20, a. scribens: Quis Catholicus Christianus vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat eam, quam Origenes dicit, purgationem malorum, id est, etiam eos, qui hanc vitam in flagitijs, & facinoribus, & sacrilegijs, atque impietatibus quamlibet maximis, finierunt, ipsum etiam postremo Diabolum, atque Angelos ejus, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos regno DEI lucique restitui.

83. Alter error, qui Iudaeizantium esse dicitur, Cerinthianorum sive Chiliastarum haeresin ab orco revocare videtur, qui, referente Philastrio, statuerunt, Cum venerit Christus de Cælo, mille annos iterum nobis concessum iri ad carnaliter vivendum, generandum & manducandum sicut nunc sit in hoc seculo.

84. Haec

84. Hæresin istam ex Iudaico intellectu de futuris promissionibus pullulasse, testatur Eusebius, l. 7, c. 24. dum corporaliter eas exhibendas esse, Iudæorū plurimi statuerunt.

85. Errantium in hoc Articulo Catalogo annumerari etiam possunt, Epicuræi, Sadducæi, & quivis ἐμπειρίων alij, qui nullam planè resurrectionem futuram esse, sed animam cum corpore extinguere, ac in nihilum, vel certè in quatuor Elementa resolvi, somniarunt. Matth. 22, 23. Act. 23, 8. 2. Pet. 3.

86. Quorum impietati perquam vicini sunt, Aristoteles, qui mundum æternum duraturum statuit, l. 8. Φυσ. & l. 1. de Cælo; Et Mathematici nonnulli, qui partim certo siderum quorundam concursu incendium orbis excitatum iri somniant, quando nimirum sidera omnia, quæ nunc diversos agunt cursus, in Cancrum convenerint; partim verò ex analogia numerorum, alijsq; calculi Astrologici supputationibus, prædictiones de die novissimo extruere student.

87. Pertinent hæc etiam Hymenæi & Philetæ somnia, qui finxerunt, Resurrectionem tum fieri, cum homines hæc in vita ad DEVM convertantur.

DEO GLORIA





4/1935 a

ULB Halle 3  
001 541 250



56









20

DISPUTATIO XXI.  
**DE EXTREMO**  
IUDICIO.  
*EX ARTICULO XVII.*  
*Confessionis Augustanae.*  
ad cujus positiones  
*Sub auspicijs Christi Servatoris*  
*Præside*  
**LEONHARTO HVTTERO,**  
*S. Theologiae Doctore, & Pro-*  
*fessore publico.*  
Respondabit  
**SAMVEL CNUPPIVS** Hertzber-  
gensis Saxo.  
*Mense Majo, horis locoque solitis.*  
**VVITEBERGAE,**  
*Excudebat Zacharias Lehman.*  
**ANNO M. D. XCVIII.**

